Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 989
Quelle:
Copyright:

Similia legas in *Stephani Eduensis* Ep. Tract. *de Sacramento Altaris*. T. XX. *Biblioth. PP. Lugd.* p. 1872.

III. *fol.* 55. Farrago Carminum ἀδεσποτων, quorum praecipua duo *Columbani* Abb. Scriptoris Sec. VII. scilicet Epistolion *ad Hunaldum*, quod incipit:

Casibus innumeris decurrunt tempora uite &c.

Et alterum *ad Sethum*:

Suscipe Sethe libens et perlege mente serena &c.

Pro *Sethe*, ut habent Edita *Biblioth. PP. Lugd.* T. XII. p. 33. in *Cod.* nostro legitur *quesò*, Carmenque ipsum bis aliis interpolatum, neque integrum est, lectio tamen sanior, quam in ipsa Edit. *cit.* ubi statim in priore Epist. *comprehende* et *superne* pro *comprendere* et *sperne* luculenta σφαλματα sunt. Correctior *Sirmondus Opp.* T. II. p. 908. Enumerabo jam et reliqua Breviora:

De Fraude et Periurio. Disticha 4. *Jhesu christe uide dolus et fraus regnat ubique* &c.

Sine Titulo sed de Miseria humana Hexametri. *Intulit esyas missus clamare propheta. Cuncta caro fenum* &c.

De S. Maria. Hexam. *Te rosa porta rubus sol uirgula mirra fauus thus* &c.

De Fortuna. Hexam. *Allicit exaltat minitando mouet pede calcat* &c.

Sine Titulo Monitum. Hexam. *Gaudia spem linque non sit timor aut dolor in te* &c.

Aliud. Hexam. *Sicut quadratum stat quomodocunque locatum* &c.

Aliud. Hexam. *Per somnum latus* (Adami Eva) *egreditur mundo paritura* &c.

De Symonia. Hexam. *Creuit in ecclesia monstrum monitore — — Symonidum secta canonum uirtute resecta* &c.

Sine Titulo in Feminas. Distich. *Plurima cum soleant animos euertere sacros* &c. Extat inter *Hildeberti Cenoman. Carmina miscell.* Edit. *Paris.* 1708. p. 1353. f. atque, ut ibi extat, e *Cod.* nostro emendari potest. Ita Dist. 2. pro *fomenta fomesque* lege *facesque*. Dist. 4. *intimus hostis* in Cod. *ultima clades*. Dist. 8. *Consumensque viros* lege *omnia consumens*. Alius nobis praeterea Distichorum ordo et Hexameter solitarius: *Samson cur rueret, toto nil tucius* (notius) *orbe*. Atque ex hoc et alio bino sequenti *carmine* arguo, plura *Codicis* nostri ad *Hildebertum* pertinere, quae in suis Exemplis editor *Beaugendraeus* non reperit.

Super Crucem. Hexam. *Mors superat mortem. fortis premit in cruce fortem* &c.

Aliud.